

CONCIONES

399

H A B I T Æ

A Sanctissimo Domino Nostro
BENEDICTO XIII.
P O N T. M A X.

*In Concistorio Secreto Feria secunda
Die 9. Decembris 1726.*

VENERABILES FRATRES.

IN Regno Sardiniae, quod sub proprietate, & directo Dominio hujus Sanctae Sedis esse, ex pluribus, iisque irrefragabilibus monumentis, & praecipue ex Bonifacii VIII. Praedecessoris nostri concessione, & investitura, aliisque in Indulto, inferius referendo, enunciatis, exploratissimum extat; Ecclesias, multis ab hinc annis, Pastoribus orbatas, ex hac Apostolatus specula, sine intimo animi dolore, spectare non poteramus. Itaque ne ruina animarum esset sub manu nostra, ingravescentium malorum remedium non esse ulterius differendum censuimus. Propterea demissis precibus Charissimi in Christo Filii nostri Victorii Amadei, ejusdem Sardiniae Regis, annuentes, Jus patronatus, ac nominandi personas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, ac Monasteria antedicti Regni, eidem, ejusque Descendentibus lineae tantummodo masculinae, concessimus per Apostolicas nostras in forma Brevis literas, die vigesimaquinta Mensis Octobris proximè elapsi datas, ejus prorsus

sus tenoris, in quem maturè, accuratèque discussum, convenerat particularis Congregatio, ex nonnullis tam Venerabilibus Fratribus nostris Collegii vestri, quàm hujus Romanæ Curiae Prælati, a Nobis ad eam rem expendendam deputata, cujus non solum in nostris, & Apostolicæ Sedis juribus præservandis, sed in cæteris etiam, quæ gesta sunt, præcipuam rationem habuimus. Quod quidem vobiscum ex hoc loco communicandum duximus, ut quæ ad hujus Sanctæ Ecclesiæ rationes cum Dei gloria conjunctas pertinent, fraternitatibus vestris, ut par est, comperta esse possint.

Charissimo in Christo Filio Nostro

400

VICTORIO AMADEO

Sardiniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PAPA XIII.



Harissime in Christo Fili noster Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum nonnulli Romani Pontifices Prædecessores Nostri aliquibus Hispaniarum, & Aragoniæ Regibus, qui etiam Sardiniae Regnum ex Investitura Bonifacii VIII. facta Jacobo Aragoniæ Regi, ejusque Successoribus, & Descendentibus, tam ex linea Masculina, quam Fœminina possidebant, & quod sub proprietate, & directo Dominio hujus Sanctæ Sedis, & Romanæ Ecclesiæ existit, ob eorum præclara merita in Apostolicam Sedem Juspatronatus, & nominandi Personas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, ac quæcumque Monasteria etiam Concistorialia, quoties illas, & illa, quibusvis modis, & ex quorumcumque etiam S. R. E. Cardinalium Personis, vacare contigisset, reservaverint, concesserint, & indulserint. Nos Majestatem Tuam ob eximiam pietatem, & Tua, tuorumque Progenitorum merita, & in hanc Sanctam Sedem singularem devotionem, & observantiam, specialibus favoribus, & gratiis libenter prosequi volentes, & Prædecessorum nostrorum præfatorum, ac præcipuè Gregorii XV. vestigiis inherentes, tam Tibi, qui de præsentī possides præfatum Regnum, & in eadem Investitura comprehensus es, uti Descendens ex linea Fœminina Jacobi, etiam si non sis Rex Aragoniæ, cui qualitati per præsentēs specialitèr derogamus, quam ubi viam universæ Carnis fueris ingressus omnibus, & singulis Majestatis Tuæ Descendentibus Masculis, & in dicto

★★

Sar-

Sardinia Regno, ejusque Insulis legitimis Successoribus quamdiu vixerint, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque Apostolica Potestatis plenitudine paribus Juspatronatus, & praesentandi personas idoneas Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, Successoribus nostris, ad praesentationem hujusmodi praeficiendas, ad quascumque Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, & quaecumque Monasteria, etiam Concistorialia in dicto Regno, & ejus Insulis, quoties illas, & illa quibuscumque modis, & ex quorumcumque etiam S. R. E. Cardinalium Personis vacare contigerit, tenore praesentium reservamus, concedimus, & assignamus, Decernentes, quascumque Provisiones, & alias dispositiones de Ecclesiis, & Monasteriis praedictis, alias quam ad Tuam, & dictae Majestatis Tuae Descendentium, & in dicto Regno legitimorum Possessorum, hujusmodi praesentationem pro tempore quomodolibet faciendam, & inde sequutas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris fore, & esse, irritumque poenitus quidquid contra praesentes contigerit attentari; Non obstantibus omnibus illis, quae Praedecessores nostri, praecipue Gregorius XV. in suis litteris, voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem in Jure Patronatus, si quod dictae Majestati Tuae, & ejusdem Descendentibus, & Successoribus in dicto Regno competere poterit ad Ecclesias, & Monasteria praedicta, ratione illarum foundationis, seu recuperationis e manibus Inimicorum, vel per Privilegia Apostolica, quae nihilominus valere, & in suo robore permanere volumus, aliquid innovare, vel minuere non intendimus, cum intentionis Nostrae sit, Majestatem Tuam novis favoribus prosequi, non autem tollere ea, quae tui Juris sunt. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxv. Octobris 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

VENERABILES FRATRES.

401

Appropinquantibus communis lætitiæ diebus, quibus Nos, divini luminis instructi consilio, octo Beatorum Nomina solemniter ad Dei omnipotentis gloriam, Catholicæquæ Ecclesiæ exaltationem, Sanctorum Catalogo adscribere constituimus, hodiernum diem, quo simul deficientem Venerabilis Fraternitatum vestrarum Collegij numerum compleremus, elegimus.

Præmittimus interim, non parva nos sollicitudine angere, quatenus per humile supremæ Apostolicæ auctoritatis exercitium, celeberrima super Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium electione felicitis recordationis Sixti Quinti, Prædecessoris nostri, Constitutio (*la quinquagesima*) suæ pro debito executioni mandetur.

Hæc namque verba præcipua in ea leguntur, quæ hic duximus in Fraternitatum vestrarum memoriam revocanda, videlicet, Inter hos septuaginta Cardinales, præter egregios, utriusque Juris, aut Decretorum Doctores, *non desint alii, quot insignes viri*, in Sacra Theologia Magistri, præsertim, ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus assumendi, *saltem quatuor, non tamen pauciores*, exemplo Prædecessorum proculdubio ductus Sapientissimus Pontifex, quem, præ cæteris, & Benedicti Undecimi, & Pauli Quarti laudabilem praxim latuisse, non credimus.

Paulus enim viros selectissimos duos, Ordinis Minorum, S. Francisci de Observantia, in divina facultate Doctores, post quos alii ad hæc usque tempora creati, minimè connumerantur; prægrandis hic licet sit Ordo, magisque inter Minoritas reliquos protendatur; assumpsit.

Et Benedictus nostri Prædicatorum Ordinis, tres Sacræ Theologiæ Magistros in vestrum ipsum Collegium, brevem infra octo mensium decursum, cooptavit.

Exem-

Exempla proinde haud dissimilia ultimis nec defuere temporibus. Post nostram (heu quam immeritam, ac jugiter dolendam) ad Cardinalatum evectionem tres adhuc alij nostri Ordinis Cardinales nobiscum dignissimè, nostra sanè cum confusione, floruerunt, unoque per mortem avulso, alter non defuit verè aureus; ita ut ævo nostro, dum Cardinalatus functi sumus honore, Cardinales quatuor ex nostro, Ecclesiæ quidem non inutili, Prædicatorum Ordine, nobis tantummodò infructuosus, extitisse comprobetur.

Ad majorem ergo Dei gloriam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, vestrique Collegii decus, novem omnes Cardinales, qui ad præsens septuagenario vestro numero implendo desunt, creare intendimus, ex quorum tamen numero duos dumtaxat nunc evulgamus, videlicet.

Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiscopum Nazianzenum, nostrum primum Ministrum, & à Secretis Status.

Patrem Laurentium Cozza Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Sacræ Theologiæ professorem, Terræ Sanctæ jam Custodem, & in præsentiarum ejusdem Ordinis Generalem Ministrum, cujus nedum consummata virtus, & religionis zelus perspecta sunt vobis, sed & ipsummet commendant præclara novem volumina, ab eo in lucem edita, doctrina sana, & omnigena eruditione conferta, & duorum pro eo postulant excelsa Sacræ ipsius Familiæ Beatorum merita, videlicet Beati Jacobi, & Beati Solani, quos inter Cælites in proxima Canonizatione, Deo adiuvante, referemus.

Reliquos verò septem (inter istos, ne memoratæ Bullæ occasione, Regularium tantum nos meminisse videamur, Prælatos aliquos, doctrina, & laboribus de Romana Curia benemeritos, recensuimus; non ad carnem nos, & sanguinem respicientes, quæ penitus ad professæ nostræ Dominicanæ Religionis ingressum, fuimus, Dei misericordia, obliti; juxta Davidis effatum Psalmorum 44. *obliviscere domum Patris tui*: Ecce abominatio parentum -- commentat celeberrimus Hugo de Sancto Charo, primus inter quinque, & quinquaginta Cardinales Ordinis Prædica-

dicatorum) Reliquos , inquit , septem , non libenter , sed planè inviti , in pectore reservamus , arbitrio nostro successivè publicandos , cum vires nobis , & media suppetent , illis pro debita status ratione providendi .

Durum etenim nobis semper accideret , promovendorum , conquestibus non cavere , quorum honorificentiae consultum , volumus (quod jam promoti , benè , ac sapienter considerent , & episcopari velint , optaremus) si eorum honestæ simul , ac religiosæ sustentationi pro posse non provideamus : quamvis aliàs (quod , & nos experti sumus in primo triennio nostri Cardinalatus , antequam episcoparemur , in desuetudinem abiisse) Statutum videlicet in Electione Pii Secundi , in Innocentii Octavi electione innovatum , ut scilicet Cardinalibus sua provisione carentibus , florenorum quatuormillia quotannis assignarentur , ad praxim nos , etiam cum usura revocare studuerimus : dum floreni ipsi quatuormille , prout realiter tunc valebant , solam quatuormille scutorum summam æquiparabant ; de præsentì verò , etsi tantummodò sint ideales , nihilominus ad libram positi cum nostri temporis moneta , scuta inveniuntur tercentum , supra quinquemille .

Hæc sunt , Venerabiles Fratres , quæ vobis circà hodiernam Cardinalium creationem , ac eorum respectivè publicationem , & in pectore reservationem , significanda habuimus ; super quibus nil nos profectò intendimus , nisi Dei gloriam , & Ecclesiæ , ac Sacri vestri Coetus honorem .

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei , Sanctorum Apostolorum Petri , & Pauli , ac nostra creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiscopum Nazianzenum .

Patrem Laurentium Cozza Generalem Ministrum Ordinis S. Francisci de Observantia , quem recentis nostræ Constitutionis super Habitu , & Tonsura Prælatorum Regularium editæ , memorem esse volumus , ipsique illius observantiam expressè injungimus .

Cum

Cum dispensationibus, derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunis.

Alios septem in pectore reservamus, arbitrio nostro quando-
cumque declarandos.

In Nomine Patris †, & Filii † & Spiritus Sancti † Amen.

Cum



ri

cu